

Rome, 24 janvier 1601.

✓ Admodum R<sup>de</sup> in Christo Pater. Accepi literas R<sup>dae</sup> paternitatis vestrae bene longas et aculeatas; sed, nisi fallor, timetis ubi non est timor. Nihil enim datum est adhuc sereniss<sup>o</sup> Archiepiscopo Coloniensi ex iis quae vos danda esse formidatis. Certe ne monasterium ✓ S<sup>ti</sup> Trudonis eidem D. Archiepiscopo attribuatur, non video ullum instare periculum. Itaque Paternitas vestra bono animo sit, ac Deo fideliter, ut facit, ac fervente animo serviat, et à suis monachis servari faciat, et Deus pugnabit pro vobis. Narravi summo Pontifici summag litterarum vestrarum, atque eam praecipue partem de literis commendatitiis ad Principes Belgii pro homine concubinario. Miratus est sanctissimus Pater atque, ut est egregius castitatis amator et vitiorum omnium osor, detestatus est imposturam et impudentiam hominis. Vale R<sup>de</sup> Pater, et me tuae paternitatis studiosissimum precibus tuis apud Deum juva. Romae die 24 Januarii 1601.

✓

R<sup>dae</sup> admodum Paternitati Vestræ

addictissimus

Robertus Card. Bellarminus

F. B. 5, f. 112. Minufe autogr.